

C. CORNELII TACITI
AB EXCESSV DIVI AVGVSTI
ANNALIVM

LIBER II.

ET IN HVNC OBSERVATIONES
Caroli Paschalii Cuneatis.



ISENNA Statilio Tauro, L. Libone C o s s. mota Orientis regna prouinciæque Romanæ, initio apud Parthos orto, qui petitem Roma, acceptumque regem, quamuis gentis Arsacidarum, vt ^a externum aspernabantur. Is fuit Vono- nes, obses Augusto datus à Phrahate. Nam Phrahates quanquam depulisset exercitus, ducesque Romanos, cuncta ^b venerantium officia ad Augustum verterat, ^c partemque prolis, firman- dae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu, ^d quam fidei popu- larium diffusus. Post finem Phrahatis & sequentium regum, ^e ob internas cædes, venere in urbem legati à primoribus Parthis, qui Vono- nem vetustissimum liberorum eius accirent. ^f Magnificum id sibi cre- didit Cæsar, auxitque opibus. Et acceperè barbari latantes, ^g vt ferme ad noua imperia. Mox subit pudor degenerauisse Parthos, petitem alio ex orbe regem hostium artibus infectum: iam inter prouincias Romanas folium Arsacidarum haberi darique: Vbi illam gloriã trucidatium Cra- sum, exturbantium Antonium, si ^h mancipiũ Cæsarís tot per annos ser-

OBSERVATIONES.

a Is nobis pro alieno & externo est, qui alibi, quàm in patria altus, & educatus, externisque moribus imbutus est.

b Aliud est seruire; & aliud venerari. veneratio est obseruantia imbecillioris erga Valentiorum; seruitus est ius domini in mancipium.

c Non exiguum amicitiae argumentum exhibetur ei, cuius in aulam pars regie & nobilissime alicuius prolis, hoc est, aliquis ex liberis, charissimum scilicet, pignus mittitur.

d Fœdus, & amicitia à principe cum exteris duabus de causis firmatur; nempe, metu potentioris; aut, quod is fidei popularium diffidit.

e Ex intestinis malis, & periculis externis profecta est necessitas constituendi publicam rem certa aliqua forma. optime autem reip. formæ argumentum est, cum vtrique malo obuiam itum est.

f Magnificum est principi peti ab se, & ex aula sua, tanquam ex regum seminario, acciri cum, qui florentissime alicuius prouincia, & validissime gentis rex futurus est.

g Hic est fere barbarorum mos, vt rerum mutatione, nouisque imperijs delectentur.

h Regno haud satis videtur esse honorificum, in solio regio locare eum, qui apud externas gentes seruitutem perpesus sit. certe Parthi hoc pacto poterant vocari vernæ Romanorum, quomodo Fabius Piccor lib. 2. de aur. sec. & orig. urb. Rome dicit Romulum ex regulo primum regem à Thuscis declaratum esse. quam rem per occasionem acceptam Mithridates rex Asia pro ignominia Romanis opposuit, quod vernæ fuissent Thuscorum.